NONNULLA DE SCORBUTO DISSERTATIO QUAM AD MEDICAM...

Pietro Zorzi

NONNULLA

DE SCORBUTO

Dissertatio

QUAM

AD MEDICAM LAUREAM

RITE ASSEQUENDAM

IN ARCHIGYMNASIO PATAVINO

ZORZI NOB. PETRUS

VENETUS

PROPOSUIT

PATAVII

TYPIS LIVIANÆ

1846

AVUNCULO PERAMATO

ZORZI NOB. PETRO

A CONSILIIS GUBERNII

NEPOS DICAT

In immensa paene argumentorum serie quam scientia nostra suppeditat, cum et ego aliquod proponere debeam ut officium in Laureae honoribus petendis exequendum absolvam, in maximâ inter seligendum dubitatione versari conatus sum, an sermo inde eruendus, aut meis viribus impar, aut minus ob oculos vestrum, Director et Professores amplissimi, poni dignus esse posset. De morbis itaque patriis, Venetis scilicet, aliqua verba et ego proferre audeo.

Omissis morbis sporadicis aliarum regionum propriis, non habitatoribus marinis ignotis, de morbo peculiari aliquid dicam, praecipue de scorbuto. A nonnullis endemicus morbus ei scorbutus retentus fuit, speciatim nonnullis Venetis insulis. Nostris temporibus quum causae quam maxime tam proegumenae quam procatarcticae aufertae sint, raro scorbuti formas videre medico datur. Non solum et nostris diebus, sed et antiquitus hoc difficillime enascebatur, nec temporibus illis ubi Veneti habitatores simul se se habebant populis diversis marinis. Concludi rationaliter potest vera diathesis scorbutica unquam regnari; attamen morbi peculiarem adipisci naturam ob causas, et speciatim ob aerem, quibus populatio Veneta et marina adgressa est, inficiari non audemus. Quum et aliqua verba de scorbuto dicam, in primis observandum venit, antiquitus morbum novisse et observasse speciatim in populos marinos septentrionales saevire. Juxta antiquorum opinio-

nem, de scorbuto duplex divisio sancita fuit. Scorbutum scilicet maritimum et terrestrem admittunt auctores. Quum vero juxta hodiernas medicinae luces, omnium fere morborum epidemicorum et endemicorum natura clarius innotuit, et de scorbuto compertum est nullam adesse differentiam nisi relate ad causas, eundemque constituere morbum et relate ad decursum therapiamque.

Scorbutus morbum sistit cachecticum, qui debilitate totius corporis gravescente, sensu lassitudinis post somnum inquietum et soporosum aucto, segnitie motus, genuum rigiditate, dispnoea, gingivarum mox sanguinem plorantium laxitate, tumore, atque a dentibus vacillantibus secessu, maculis lividis in cute, petechiis, vibicibus, et echymomatibus, cute squalida ac sicca, urina profunde rubra, in putredinem ruente, proclivitateque in haemorrhagias, mox oriundas externas, non minus quam internas lethales passim, insignitur.

A primis medicinae cultoribus observatus jam fuit scorbutus. Hippocrates de magnis lienibus atque de ileo morbum novisse testantur; et revera venter turget, dolores in regione splenis acuti, color faciei pallidus, nigrescens; gingivae male olent, a dentibus abscedunt, e naribus sanguis fluit, ulcera nigri coloris ad crura etc., quae omnia, quamvis denominatio scorbuti desit, cum ejusdem essentia apprime congruunt. Omnes morbi reproductionis chronici, arthritis, rheumatismus, hypochondriasis, histeriasis, exanthemata chronica, ingens cachexiarum tribus etc., dispositioni et acrimoniae scorbuticae adscribuntur; pathologiaque praecipue solidaris et humoralis, jatro-chemica et jatro-

mathematica, doctrina stimulistarum et contrastimulistarum ubique scorbuti fomitem latere autumare non erubuit. Ultimis tamen elapsi saeculi decenniis doctrina quoque de scorbuto repurgata est.

MORBI NOSOLOGIA.

Decursus scorbuti lentus et diuturnus est, stadiis vix aegre distinguendus. Passim consuetoque more, tria assignantur morbi stadia, nempe: stadium incipiens, increscens et conclamatum.

Stadium primum. Hujus duratio inconstans est: utplurimum ad tres septimanas et ultra extenditur. Generatim stadium hoc offert symptomata sensilitatis imminutae, irritabilitatis infractae; aeger fit male dispositus, tristis; facies, labia, caruncula lacrymalis naturali orbantur amoeno rubore, pallescunt, virescunt; corpus ad omnem motum redditur iners; molesta gravedo in extremitatibus inferioribus, anhelitusque et dyspnoea oriuntur. Praecedentibus his, magis magisque pathognomonica evolvuntur symptomata: halitus graveolens; intumescens gingiva livore ac pallore passim notata, minimo frictu sanguinem foetidum fundens; serius haemorrhagia spontanea ipsius oris, aut stomatorrhagia; exulceratio foetida gingivarum, aut stomacace. Petechiae scorbuticae adparent, echymoses, vibices; saepius vero et in conjunctiva oculi similes nascuntur sigillationes, et ophtalmiae scorbuticae ansam praebent. Crura corripiuntur inde oedemate, dyspnoea accedit, dolores in sterno aut sternodynia. Sed nec canalis intestinalis incremento scorbuti immunis relinquitur; jamque gastrodynia, dolores colici, jam alvus diarrhoica aegrum cruciant; exigua febricula comparet, sed non vera reapse

febris; hinc pulsus arteriosus potius mollis, debilis et tardus. Peculiaris ciborum cupido in malaciam saepe picamque degenerans.

Stadium secundum. Si morbus increscat, diathesisque scorbutica ad altiorem evehatur gradum, tum tanta enascitur debilitas ut anxius aeger lecto plurimum adfixus jacere debeat; etenim ambulare tentans, vertigine corripitur, ita ut sub minori corporis motu, cardiopalmus et syncope oriantur. Summa est hocce stadio in haemorrhagias proclivitas: mox epistaxis, mox pneumorrhagia, mox haematemesis, mox diarrhoea aut dysenteria sanguinolenta; in aliquibus haematuria, in foeminis haud raro metrorrhagia. Non desunt internae haemorrhagiae summe periculosae, diabrosi aut diapedesi minorum vasorum, speciatim haemathorax.

Stomacace magis in dies aucto, palatum et fauces sphacelo obnoxiantur, et malum seu cynanche scorbuticum vocatum; dentes vacillantes sensim redduntur. Tandem ulcera scorbutica spongiosa, caeruleis marginibus instructa, inque gangraenam nitentia adparent. Laborant porro aegri doloribus rheumaticis, pleuritidem, hepatitidem aut nephritidem mentientibus. Malo aucto, musculorum tendinumque peculiares contractiones. Adpetitus nec non sanguinis circulus vix immutantur adhuc. Sanguis sub hoc stadio partim per haemorrhagias, partim, ob inflammationes praesentes, per venaesectionem evacuatus, est niger, difficulter coagulatur, placentamque mollem efformat, friabilem, nulla crusta inflammatoria tectam.

Stadium tertium seu acme. Si in stadio secundo obices non ponantur, cursu tumultuario transit morbus

in stadium colliquationis, sub quo evolvuntur symptomata febris cum charactere septico-nervoso. Debilitas muscularis adeo increscit ut ne quidem in lecto aeger manere valeat. Haemorrhagiae paralyticae perstant et intenduntur; partes sanguinem fundentes cunctae gangraenescunt; ulcera turpia, ichorem cadaverosum stillantia, efformantur. Summa respirationis difficultas, sopor; abdomen meteoretice inflatur, hydrops accedit vel icterus; ossa nimis fragilia: juxta auctores osteomalacia scorbutica, vel sic dicta *rhachitis adultorum* oritur. Dein insequuntur sudores frigidi, foetidi, saepe cruenti; urina foetens, diarrhoea colliquativa, paralyses, deliria tacita, suffocatio, mors.

Quod ceterum decursus morbi, fere semper typici, symptomataque hujus gravia in complicatione diversissimorum morborum, arthritidis, rheumatismi, chlorosis, exanthematum esse possunt. Pessima scrophularum et syphilidis complicatio est. Cadaverum sectio, in scorbuto topico vix descripto, praeter universalem corporis maciem, internumque et externum organorum pallorem, ac ossium cariem, vix, ac ne vix quidem, alia exhibet phaenomena. Longe alia est phaenomenorum ratio in scorbuto universali. Etenim in hujusmodi, musculi, nec corde exemto, inveniuntur pallidi, flaccidi; pulmones, lien et alia viscera subatra; vasa collapsa, sanguinem nigrum resolutum ducentia. In cavis majoribus, ut pectoris, abdominis, pericardii, collectiones seri viridescentis adparent. Invenitur tandem extravasatus sanguis, plagaeque gangraenosae non in externa superficie corporis solum, sed et visceribus internis. Ossa, praesertim in apophysibus, vel emollita in fungosam distenta massam, vel valde fragilia.

SCORBUTI DIVISIO ET ÆTIOLOGIA.

Nonnulli dividunt scorbutum in maritimum et terrestrem, nullo divisionis fundamento praesente, cum uterque iisdem natales debet momentis, non proegumenis solum sed procatarcticis, et iisdem cedit remediis. Eadem valent de subdivisione terrestris in carceralem, nosocomialem, bellicum, sporadicum, endemicum et epidemicum, congenitum et adquisitum, regularem et anomalum. Utilior divisio in praxi habetur in acutum et chronicum, febrilem et afebrilem, simplicem et complicatum.

Sicuti in omni morbo, et hic causae praedisponentes et occasionales, seu momenta excitantia requiruntur.

Ita relate ad priores arrident scorbuti genesi, ceteris paribus, homines phlegmatici, laxi, spongiosi, exhausti, morbis diuturnis variis confecti, convalescentes.

Nec minus confert aetas: sic notum est, infantes puerosque cancro aquatico vexari, dum e contra senium scorbuto universali opitulatur.

Sexus tandem discrimen inducit, virosque prae foeminis malo hocce vexari omnes consentiunt auctores.

Relate ad alteras. Illac in omnibus potentiis nocivis quae nisum in liquationem promovent habentur, utpote directe in processum vegetationis influentibus, chemicamque massae organicae miscelam et elementorum proportionem alterantibus. Hinc detractio incitamentorum vitalium, atque concursus potentiarum vitae universim inimicarum, principales largiuntur cachexiae fontes. Animi motus principalem exerunt actionem in systema nerveum reproductivum, et hanc cachexiam gignunt; praecipue vero pathemata animi deprimentia, uti: tristi-

tia, moeror diuturnus, timor, anxietas, taedium, nostalgia, atrae omnis generis curae, quae vires systematis nervosi deprimunt, influxumque hujus in reliquas organismi functiones tollunt, torporem respirationis sic et circulationis hallucinationes inducunt, talique ratione oxydationem turbant, sanguinis poësin alterant, et omnes functiones systemátis reproductivi confundunt et infringunt. Quare etiam pauperes adversa sorte oppressi, atque ob calamitates publicas, bellorum tumultus, annonae caristiam, locorum insalubritatem, propriamque desidiam necessariis carentes vitae adminiculis; incarcerati, et luce et aere et victu et omni humano tractamine orbi; nautae curis gravibus vexati, aliique de meliori desperantes sorte, aras focosque patriae aventes, et impediti; melancholici scorbuto frequenter corripiuntur. Sic non raro deceptus chloroticarum amor. Modo denique indirecto, nimiae intentiones mentis, lucubrationes nocturnae, aliarumque functionum nervosarum, veneris praecipue libationes in abusum tractae idem efficere possunt.

Nec morbi praegressi scorbuto generando impares visi, tam lenti febriles, quam afebriles cachectici; morbi nervosi, diuturnaeque praesertim febres intermittentes, cum infarctibus viscerum abdominis, praecipue lienis, incedentes. Producta denique morbosa qualiscumque liquationis aut putrescentiae localis, uti sanies foetida ulcerum, sphacelus omnium partium, foetus intra uterum, vel secundinarum reliquiae putrescentes nec ex utero eductae. Quaevis etiam contagia nisui in liquationem septicam suffragantur. Nec minus abusus remediorum antiphlogisticorum, solventium, salinorum et narcoticorum absque causa insimulandus erit.

Aer atmosphaericus, commune illud vitae omnis pabulum, multimode robur vitale pessumdare et haematopoesin offendere potest, ubi vel consuetis vitaeque amicis elementis inops, vel deleteriis dives fuerit; insimulandusque est per eminentiam aer humidus, oxygenio cassus, impurus, effluviisque phytozooticis gravis. Omnes igitur mephitum species quas cloacae, sentinae, coemeteria, speluncae et carceres subterranei atque habitacula plurium hominum acervatim viventium eructant. Hinc origo scorbuti celerior ad oras maritimas in locis depressis. Manifestior est influxus lucis in organisationem: videmus hinc in viridariis, plantas in tenebris languere, organaque sua inflata, pallida, tenera. Pessime tandem agit ciborum potusque vitiata indoles: hinc abusus carnis facile putrescentis, suillae, ferinae, piscium, ostrearum; digestu difficilis, uti caprinae, arietinae, avium marinarum; alimenta pinguia, sale marino condita, fumata; farina corrupta: quae omnia lethali dyscrasiae aperiunt fontem. Tandem et corporis neglecta cultura, spurcities ejusdem, vestimentorum et domiciliorum, etc. etc.

DE CAUSA PROXIMA.

Haec, aliarum cachexiarum instar, in specifica indole processus vegetativi depravata et alterata sita est. Multae quidem de nosogenia scorbuti hypotheses prolatae fuerunt. Humoralis medicina in dyscrasia humorum latere fassa est; alii in putredine sanguinis. Solidistae in alterata solidorum conditione; alii in defectu oxygenii in sanguine. Certum est ignava assimilatione ex vitiata digestione et chylificatione nata; nascitur cachexia pituitosa, emphraxis mesenterica reassimilationem laedit;

infractaque sic haematopoesi, cohibita oxydatione sanguinis, scorbutum inducit. Causa proxima itaque morbi in abnormi totius systematis reproductivi et organisationis conditione, eminenter in sanguine venoso nimium adparente, sanumque corporis statum alterante, quaerenda erit.

PROGNOSIS.

Nosogenia morbi clariore reddita aevo nostro ipse etiam facilius sanatur, sique solertiae et scientiae medici benigna non desit adjumento natura, non raro, quamvis aegrius, e tertio quoque stadio sanitas emergit. Sed quamprimum negligitur morbus, relationesque aegri haud sufferendae invisae accedunt, vel insufficientes, aut perversa accedat cura; tunc per syncopem lethalem, aut haemorrhagias internas et externas, exhaustionem virium vel suffocationem, orci faucibus aeger victima vadit. Nec raro, salva vita, scorbutus aliis cedit morbis, uti doloribus chronicis, anchylosibus spuriis, contracturis artuum, ulceribus cachecticis, sputo cruento, phthisi, profluviisque diversis. Duratio inconstans est, saepe per menses, saepe per septimanas solum durans; sicuti et vehementia ejusdem a constitutione aegri, ab influxu causarum, relationibusque faventibus vel malignis pendens. Sic scorbutus maritimus periculosior et brevior est, magis lethalis; terrestris diuturnior et mitior; carceralis pessimus.

Combinatis hinc momentis pathogenicis, morbi natura, aetate et gradu, prognosis sponte fluit, quae in genere non semper tristissima est; rationalique morbus therapiae non minus quam et de tempore adhibitae frequentius feliciter cedit. In specie vero constitutio

aegri laudabilis, debita cura non intermissa, odiosisque absentibus circumstantiis, imminutio macularum et numero et extensione, transpiratio debita non foetens, calor normalis, diarrhoea non debilitans, meliorata ulcerationum indoles, etsi gravis morbus fuerit, aeger non tantum primo sed etiam secundo stadio morbi pristinae restitui potest saluti. Longe gravior autem est reditus in sanitatem ex stadio colliquationis septicae, limitibusque arti positis, quam plurimum in mortem deproperat, praecipue si infelix arthritidis, scrophularum, syphilidisve fatalis accedat complicatio. Conclamatum itaque de aegro est si respiratio difficilis et anxia, stertorosa; diarrhoea, fluxus debilitans, sudores viscidi, frigidi, non raro cruenti, haemorrhagiae continuae paralysim inducentes; sanguis foetidus resolutus, caries ossium, variolae, phthisis, hydrops in conspectum veniant.

THERAPIA.

In cura rite instituenda, prophylactico modo agere plurimum interest, causas efficientes eruere, cognitas amovere vel earum influxum arcere; et jam nascentis germen destruere morbi. Convenit itaque pro casuum diversitate in navibus, carceribus, castris, sollicitos esse de aere moderate calido, puro et sicco conservando, ventilationes aeris quotidie instituendo aut fumigationes. Simul procuranda sunt alimenta sufficientia et bonae qualitatis, praecipue in carceribus et itineribus maritimis. Vita activa, aqua recens, pura scaturigine hausta, liquores alii destillati, vini, cerevisiae moderata dosi exhibendi sub primis duobus stadiis: praecellunt nutrientia vegetabilia oxygenii quantitate majori pollentia. Acidorum virtus nota jure antiseptica numerantur. Prae-

placent acida vegetabilia, uti aceti, rubi-idaei, berberum, ribesiorum, fragarum, succus citri, etc. Altior tamen gradus scorbuti mineralium acidorum opem implorat. Illorum praecipua sunt: acidum nitricum, hydrochloricum, sulphuricum, diluta; liquor acidus Halleri et elixir Mynsichti: haemorrhagiis urgentibus adstringentia quoque invocari debent.

Malo urgente, nec stimulantia acria antiscorbutica negligenda. Hinc aetherea oleosa, radix calami aromatici, pimpinellae, zingiberis; cortex cinnamomi; plantae cruciatae, ut herba beccabungae, cochleariae officinalis et armoraceae, nasturtii, raphani, sinapis semina, rumex, acetosella. Requirit quoque scorbutus, ob debilitatem praesentem et resolutionem materiae organicae, roborantia amara, amaro-aromatica, martialia et adstringentia; ita cortex aurantiorum, radix gentianae, herba absinthii, centaureae, trifolii fibrini; baccae juniperi, frondes salicinae. Praecipuum tamen et saepe unicum est cortex cinchonae, praesertim si febris cum charactere nervoso vel septico adsit, cui adduntur aliquoties non minus acida quam liquores aetherei, ammoniacalia, camphora.

Ulcera scorbutica curantur in genere remediis iisdem, stadio et statui eorumdem accommodatis.

THESES DEFENDENDAE

1. Perniciosa pleuritica a phlogosi non sustenta.

2. Morbi exanthematici plerumque negative curantur.

3. Scorbutum in organis haematosi dicatis sedem figere.

4. Ærysipelas indolis gastricae persaepe.

5. Pectoris oppressio atque suspiria in febri profusis sudoribus comitata, miliaris prodroma.

6. Lithiases a simplici phlogosi raro pendere.

7. Idem remedium et emeticum et purgantem et diaphoreticum effectum praestat.